

Johann Ernst Schaper

**Johannes Ernestus Schaper, Serenissimi Ducis Mecklenburgensium Regentis
Consiliarius Regiminis Intimus ... Hodie Academiae Rostochiensis Rector, Ad
Jubilæum, Qvod Nunc Adest, Evangelico-Lutheranum, Idqve Secundum, ...
Celebrandum, Nec Non Ad Audiendam ... Orationem Academicam ... Dn. Jacobi
Carmon, Juris Utriusq[ue] ... De Luthero Vitro Nec Vitro D. 2. Novembr. ...
Habendam ... invitat**


Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingi[i], [1717?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1006376852>

Abstract: Feier der Universität Rostock zum 200. Jahrestages der Reformation

Druck Freier  Zugang







Bibl.
Schol. Gustrov.

1836.

~~Mk 310.~~

Mk - 7775.





**JOHANNES ERNESTUS
SCHAPER,**

SERENISSIMI DUCIS MECKLENBURGENSIUM
REGENTIS CONSILIARIUS REGIMINIS INTIMUS ET ARCHIATER,
MED. DOCT. EJUSQUE PROF. DUC. PUBL. PRIMAR. ET ORD.
TOTIUS UNIVERSITATIS, COLLEGII DUCALIS,
ET FACULT. SUÆ SENIOR.

HO DIE

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS RECTOR,
AD

**JUBILÆUM, QVOD
NUNC ADEST, EVANGELI-
CO - LUTHERANUM,
IDQVE SECUNDUM,
RITE RECTEQVE CELEBRANDUM,**

NEC NON AD

AUDIENDAM BENEVOLE atq; CONJUNCTIM
ORATIONEM ACADEMICAM eamq; SECULAREM
f*Cti &* PHIL. EXIMIIS IN ACADEMIAM MERI-
TIS NOBIS OMNIBUS COMMENDATISSIMI,

DN. JACOBI CARMON,

JURIS UTRIUSq; & PHIL. DOCT. ELOQV. PROF. DUC. PUBL.
DE

LUTHERO VITRO NEC VITRO

D. II. NOVEMBR. IN AUDITORIO MAXIMO
PUBLICE HABENDAM,

JLLUSTRIUM COLLGIORUM DUCALIUM PRO-
CERES, UTRIUSQVE MAGISTRATUS PRIMORES, OMNIUM FA-
CULTATUM DOCTORES, VERBI DIVINI MINISTROS, PHILO-
SOPHIÆ MAGISTROS, UNA CUM LECTISSIMA
STUDIOSORUM CORONA,

*Publico hoc Scriptiois genere, eo, quo decet, affectu, instanter
cohortatur, dicatoq; gratorum officiorum studio solemniter
invitat.*

— — — — —
ROSTOCH, Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC. & UNIV. Typogr.

9.



Vod DEUS TER OPTIMUS

MAXIMUS faustum & fortunatum esse Clementer jubeat, Sanctissimo suo Nomini gloriosum, nobisque omnibus & singulis hîc & in æternum salutare! Imminuit iterum hodie, & in orbem non tantum Civilem sed & Ecclesiasticum rediit, per immensam Ejus Bonitatem & Gratiâ (per quam & illud ipsum singulari quadam felicitate superviximus) Festum ilud Seculare pariter ac Jubilæ-

um, Evangelico - Lutheranum, idque ordine temporis secundum, quod Universâ, quaqua patet, Ecclesia Evangelico - Lutherana, maximo cum gaudio, maximoque cum apparatu feriat nunc undique & adornat, & quidem in memoriam, nulla unquam oblivione, nulla, vitri instar fragili deletione, intercipiendam, admirabilis illius profusus & omnium Seculorum memoriæ commendabilis beneficii, quod ducentis abhinc annis Heros ille Veræ fidei Fortissimus & Sanctioris æque ac omnis generis alterius disciplinæ & scientiæ Restaurator Instru-ctissimus, D. MARTINUS LUTHERUS, Evangelicam illam Veritatis Cœlestis doctrinam, quæ ante Ipsum profundissimis quasi puteis & speluncis tenebrose jacuerat immerita, corruptissimisque adversorum fidei dogmatum impuritatibus admodum conspurcata, Divino motus ductu & consilio, Divinoque corroboratus auxilio, ex abditissimis illis & tenebrosissimis profunditatibus, nec non è squalidissimis variegatæ indolis corruptelis, in purissimam Theatri Evangelici lucem & integritatem operosissimum in modum transtulit & reduxit. Singulare hoc est plane & inæstimabile beneficium, quod non tantum in primo, quod ab eo defluxit, quo collatum est Clementissime ab Altissimo Numine, Secularis temporis spatio, ab Integerrimis veræ fidei & pietatis Cultoribus, debitum maximè in modum celebratum est, neque in secundo hoc tantum, quod nunc iterum circumvolutum est, ab iisdem dignissimum in modum celebratur, sed & quod ab ipsissimo SPIRITU SANCTO in æternæ suæ Veritatis dulcissimo Verbo, juxta plerorumque ex Orthodoxis Theologorum sententiam, masculè contra Adversarios vindicatam, celebratum existimatur & præsignificatum, Sanctoque Evangelistæ & Apostolo Johanni, reliqua inter Ecclesiæ genuinæ fata eaque futura, in Apocalypsi ipsi factâ, certis sub visionibus proposita, Visione Mystica, Capite ejus decimo & quarto ejusdemque connate sexto & septimo, *de Angelo per medium Cœli spatium transvolante, Evangeliumque secum æternum circumferente*, augustissima quadam ratione revelatum, omnibusque genuinis Apocalypseo Johanneæ Scrutatoribus ponderosissima quadam ratione infinatum æque ac instillatum. Thaumasiander etenim LUTHERUS revera fuit Angelus ille Mysticus & Ecclesiasticus, qui per corruptissimi per omnia suo tempore, suâ verò operâ integerrime reparati Cœli Ecclesiastici & gratiosi, famâ suâ, doctrinâ, vitâ, & scriptis, medium transvolavit spatium, Evangeliumque secum circumtulit, divinitate, dignitate, necessitate, veritate, sanctitate, puritate, utilitate & suavitate excellentissime conspicuum; Evangelium scilicet de Sacræ Scripturæ origine, autoritate, efficacia, & reliquis affectionibus, eo modo & genio, quo nihil

lius,

melius, de DEO Trinuno ejusque, agnitione, de JESU CHRI-
STI Persona & Officio, de Sancti Spiritus Majestate munere,
& donis, eo modo & genio, quo nihil clarius, de Creatione
Mundi, Angelorum & Hominum, Protoplastorum lapsu, Homine
per peccatum corrupto, per regenerationem restaurato, de Lege &
Evangelio, nec non utriusque discrimine, eo modo & genio, quo ni-
hil verius, de Prædestinatione, Justificatione, Fide salvifica, Sacra-
mentis Baptismi & S. S. Cœnæ, eo modo & genio, quo nihil solidius,
de Bonis Operibus, Precibus, Afflictionibus, Jejunio, Pœnitentiâ,
eo modo & genio, quo nihil explanatius, de Vera Ecclesia, Ministerio
Ecclesiastico, Magistratu Politico, Statu Oeconomico, Matrimonio,
eo modo & genio, quo nihil significantius & præclarus, de Conciliis,
Traditionibus humanis, Adiaphoris & Ceremoniis, eo modo & genio,
quo nihil enucleatius, de Vita & Morte, Mortuorum Resurrectione,
Extremo Judicio, Vita æterna & Interno seu Pœnis æternis, eo modo
& genio, quo nihil constantius, nihil dexterius. Fragilis equidem fuit
& omnino Vitreus, Angelus hic Mysticus & Apocalypticus, quoad
mortalitatem & infirmitatem, quam secum circumtulit, humanam;
stabilis tamen fuit & mansit, non Vitreus, insuperabilis & immotus,
quoad æternum illud Evangelium de JESU CHRISTO, totius Theo-
logiæ Evangelicæ nucleo, compendio & Centro, quod largiter admo-
dum instauravit, prædicavit, mirum in modum amplificavit & ad
posterios salutariter transplantavit, Æternum, inquam, illud Veræ Fi-
dei Evangelium, factâ per hoc ipsum gratiosâ Hominum in electos DEI
Liberos cooptatione ab æterno nobilitatum, primis nostris Parentibus
post tristem eorum Lapsum Lapsusque pœnam, solatiflua maximè ra-
tione denunciatum, in Universâ V. T. Ecclesia Judaica, variis Typis,
Vaticiniis, & Exemplorum præfigurationibus, mysteriorum plenâ, nec
adeò perviâ, fidelibus interim illis sufficiente ratione adumbratum, in
Universâ N. T. Ecclesiâ Christianâ, ab Ipso Salvatore nostro, Evangeli-
stis, Apostolis, Viris Apostolicis, eorumque Successoribus legitimis,
undiquaque, luculenter & perpetuò disseminatum, in omnium & sin-
gularum, quos DEUS solus novit, fidelium animis, tanquam æter-
num Cœli depositum, ab exitioso quovis interitu hætenus præser-
vatum, & ad ultimum usque ejusdem terminum præservandum, & con-
summatis tandem residuis adhuc Divinum juxta decretum seculorum
in hâc mortalitate deproperantium ordinibus, in futura illa immorta-
litate & beatitudinis messe incorruptibili suo semine eminentissime,
gloriosum.

Atque hujus, breviter ita delineati, æterni veræ fi-
dei Evangelii, Statorem & Vindicem felicissimum, & quoad benedictam
restorationis memoriam fragilis alias instar vitri nunquam peritu-
rum aut intermoriturum, simulque redintegrati hujus Evangelii &
ab omni alia Mundanarum rerum fragilitate vitrea ex divino promif-
so remoti, inæstimabilem dignitatem, ad præscriptum & Mandatum,

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. CAROLI LEOPOLDI,

Ducis Mecklenburgensium Regnantis,

Principis Vandalorum, Sverini ac Ra-

ceburgi, Comitis item Sverinensis, Ter-

rarum

rarum Rostochii & Stargardiæ Dynastæ,
Academiæ hujus Patroni atqve Cancellarii
Magnificentissimi, Domini sui longe
Clementissimi, quam subditissime compositurus sese, Prænobilissimus
Consultissimus atqve Excellentissimus, Dn. JACOBUS CARMON, J. U. & Phil. Doct. Celeberrimus, Eloqv. Prof. Duc. Publ. Meritissimus, Fautor meus Collega & Amicus Honoratissimus, in Festo hoc Seculari & Jubilæo, eoqve Evangelico-Lutherano Secundo, Autoritate Publica Ecclesiis nostris & Academiæ nostræ sacro pariter ac religioso, Oratione quadam Academica, eaque Seculari, de LUTHERO VITRO NEC VITRO, eleganter prorsus & jucunde conscripta & d. 2. Novemb. in Auditorio Maximo publice habenda, prolixius, & pro gravitate argumenti, nervosius & exactius explicabit, illustrabit, commendabit, & ut infracta maneat apud Nos semper, inter fragiles doctrinæ vitæ & fortunæ nostræ conditiones, restaurata Evangelii illius Æterni veritas & dignitas, ardentibus, quibus poterit, precibus, à Summo pariter Numine efflagitabit. Hoc ipsum nunc ut ad eum, ad quem unice directum est, finem, illustrem nempe Divini nominis gloriam & nostram temporalem æque ac æternam salutem, exoptatâ per omnia & debitâ maxime ratione promoveatur, & impense & solemniter oro obsecro atque obtestor, ILLUSTRUM COLLEGIORUM DUCALIUM PROCERES, MAGISTRATUS UTRIUSQUE PRIMORES, OMNESq; in genere LITERATOS LITERARUMQVE FAUTORES, ut perendino die, horaque ex matutinis nona, eaq; completa, actum hunc Oratorium eumque Academicum, eminentissime festivum, præsentia sua splendidissima desideratissimaqve locupletissimum in modum exornent; Sigillatim humaniter officioseq; rogitō, ut OMNIUM FACULTATUM DOCTORES & PROFESSORES, nec non VERBI DIVINI MINISTRI, & PHILOSOPHIÆ MAGISTRI, in ipso Venerando Rev. Concilii loco, SCIENTIARUM AUTEM OMNIS GENERIS CULTORES AC VIRI JUVENES FLORENTISSIMI, in areâ Collegiorum Ducalium superiori, frequentissimo confluxu compareant, Comitatum, qui ex his locis instituetur, Academicum, juxta significatum ipsis ordinem, in Auditorium usque Maximum liberalissime deducant, in Auditorio Maximo differentem graviter & acute Jurisconsultum Excellentissimum, & Oratorem Academiæ Mellitissimum, benignissime attendant, cum gratiarum actionibus ejus & precibus sacris & seriis, gratiarum actiones suas & preces, easque sacras & serias, devotissime jungant, sicque omne illud, quod ad Jubilæi præsentis Evangelico-Lutherani, idque ordine temporis secundi, illustrem splendorem & festivam solemnitatem, desiderata quadam ex ratione conducere poterit, faventissimum in modum conferre haud dignentur.


P. P. Sub Sigillo Universitatis Rostochiensis Jubilæis destinato, in ipso, Jubilæi Evangelico-Lutherani, ejusque secundi, Festo.


d. XXXI. Octobr. ANNO MDCCLXXII,


Jo-
del-
en?


en

ms
ude
ach.
ha.
nei.
Ju-
ret/
ar.
tiet
an
vie.
dein
den/
Ro-
und
gen
je.
iner
zen/
det:
set.
se
ing
ben
uch
reib
Ge.
dem
n









Als
An dem
Erfreulichem Fe
Des
JUBILAEI
LUTHERANI

Welches
Zum Zwentennahl gefeyr
wurde/

Der
Decanus Facultatis Medicæ
D. GEORGIUS
THARDING,

Zur mehrerer Celebrirung ein
SOLENNE ORATI

Den III. Novembr. Anno MDCCXVII.
Im grossen AUDITORIO hielt

Ward
Zur Vermehrung der Freude
ARIE

Vor / zwischen und nach gehaltenen / Rede
abgesungen.

ROSDORF /
Gedruckt bey Niclas Schwiegerau / E. E. Nahts Buchdrucker.

